

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3501

Genre d'acte : autre

Authenticité : non suspect

Datation : ...1250...

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Enquête sur les héritiers de Raoul Mauvoisin, chevalier défunt.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 493, p. 84-86.

Dissertation critique

Datation proposée par L. Delisle.

Texte établi d'après a

§ Hec est inquesta inter dominum Regem et heredes Radulphi Malivicini militis defuncti, facta de mandato magistrorum curie, utrum ille dominus utebatur de placito de l'espee et de omnibus aliis placitis qualiacunque accidebant in die mercati sui sive dominus Rex, et utrum dictus Radulphus singulis diebus tocuis septimane utebatur de omnibus placitis, qualiacunque accidebant, excepto placito mortis et mutilationis membrorum et mulieris difforciate et nove dessessine, prout dicebatur, pro parte dicti heredis, et prout a ballivo Gisorcii, pro parte domini Regis, contradicebatur, et quomodo dictus Radulphus super premissis omnibus in die mercati sui et singulis aliis diebus utebatur tunc temporis, cum ipse iter arripuit in partibus transmarinis.

I. § Guillelmus de Crouta, miles, juratus, dixit quod ipse diu fuit senescallus domini sancti Andree, et tenebat placita super omnibus querelis, que accidere poterant in terra sancti Andree, qualibet die septimane, excepto homicidio, mahemmio, nova dessessina, muliere difforcia, super quibus quatuor dominus Rex habebat justiciam, nisi solummodo ad diem mercati sancti Andree, et dictus dominus sancti Andree faciebat justiciam de omnibus istis articulis quatuor predictis ultimo, quando accidebant die mercati sui. Requisitus quomodo scit de homicidio, dicit quod vidit quemdam hominem qui vocabatur Jouchehors, qui die mercati sancti Andree interfecerat quemdam hominem apud Ferrerias, in feodo sancti Andree, captum (sic, l. captum) per gentes domini sancti Andree, quem homicidam gentes Regis ceperunt in prisonem dicti domini, et adduxerunt in prisonem domini Regis apud Ebroicas, qui redditus fuit domino sancti Andree per iudicium, in placitis vicecomitatus, et fuit suspensus in terra dicti domini. Requisitus quo tempore, dixit quod in tempore Estachii Desmeree, tunc temporis vicecomitis Ebroicensis. Requisitus de tempore ballivi, dicit quod credit quod hoc fuit tempore istius ballivi, sed nichil scit utrum fuit de consensu et mandato ejusdem. Requisitus de mahemmio, dicit quod quedam mulier de Parco, cujus nomen non recolit, fuit mahemmiata de digito, et pax (sic, l. pax) fuit facta inter partes, et dominus habuit emendas sine contradictione gentium domini Regis. Requisitus de tempore cujus ballivi, dicit quod nescit. Requisitus de nova dessessina, dicit quod nunquam vidit accidere ad diem mercati, nec unquam vidit dictum dominum uti. Requisitus utrum dictus dominus habeat justiciam aliis diebus septimane, excepto die mercati dicit quod nichil debet habere, nisi accidant die mercati sui. Requisitus de muliere difforcia, dicit quod vidit die mercati quod Osanna La Guerarde, quam Matheus le Sauvage cepit per vim, et jacuit cum ipsa, fecit pacem cum dicto Matheo

de consensu dicti domini sancti Andree, et in curia ejusdem. Requisitus de tempore cujus ballivi, dicit quod, sicut credit, hoc fuit tempore Luce de Villaribus. Requisitus de dote, dicit quod ipse qui loquitur, tamquam senescallus, tenens placita dicti domini, tenuit placita super dote inter Auberredam de Capella et Renoudum Le François ; et tenuit similiter placita de feodo et gagio inter Johannem de Rooneio et heredes de Quesegerneio. Tenuit etiam placita de retractu burse inter Ausoudum Le François, et Johannem de Boceio, et in istis casibus predictis tenuit multociens placita inter multas personas, quarum non recolit nomina personarum. Requisitus de marneria, dicit quod vidit quod duo jumenta ceciderunt in marneria Roberti Le Marie de Foresta, et dictus dominus levavit bonam emendam de Roberto supradicto.

II. § Simon de Villaribus, miles, juratus, dixit quod vidit Guillelmum de Crouta, militem, senescallum dicti domini, tenere placita de dote et maritaggio incombrato in curia dicti domini ; set non recolit de personis. Requisitus de tempore, dicit quod circa septem annos. Requisitus quis erat ballivus, dicit quod Lucas de Villaribus. De aliis casibus nichil scit.

III. § Johannes de Moncellis, miles, juratus, dixit de Jouchehors idem quod Guillelmus de Crota, hoc excepto quod non erat presens quando fuit redditus dicto domino, set vidit eum suspensum ad furcas dicti domini. Dicit etiam quod hoc fuit tempore Luce de Villaribus. Dicit etiam quod, tempore Regis Philippi, Renaudus de Altaribus interfecit quemdam hominem et captus fuit in terra Sancti Andree a gentibus domini Regis, set dictus dominus rescousit eis dictum homicidam, videlicet Petrus dictus Malus Vicinus, qui accedens propter hoc ad curiam, de mandato Regis Philippi, rehabuit suam justiciam, et per pacem factam, de assensu ipsius Petri, idem homicida iter arripuit transmarinum. De mahemmio et de muliere difforciata, dicit idem quod Guillelmus de Crouta, miles, et etiam de personis. De dote et maritaggio incombrato et retractu burse et marneria et feodo et gagio, vidit semper dominum uti, sine contradictione gentis domini Regis, quando ista accidebant set non recolit de personis.

IV. § Gillebertus d'Escorchet, miles, juratus, dicit idem de Jouchehors quod Guillelmus de Crouta, hoc excepto quod non vidit eum suspensum. De muliere de Parco mahemmiata de digito, dicit idem per omnia. De Osanna la Guerarde, difforciata, dicit idem per omnia. De aliis autem casibus scilicet marneria, dote, feodo et gagio, retractu per bursam et maritaggio incombrato, et de personis dicit idem quod Guillelmus de Crouta.

V. § Rogerus de Bellovisu, serviens domini Regis, juratus, dixit de Jouchehors idem quod Guillelmus de Crouta ; de muliere de Parco mahemmiata de digito, et de Osanna la Guerarde difforciata, dicit idem per omnia quod Guillelmus de Crouta. De dote, maritaggio incombrato, marneria, feodo et gagio, dicit idem per omnia quod dictus Guillelmus de Crouta.

VI. § Bartholomeus de Dumo, miles, juratus, dixit de Jouchehors suspensio idem quod Guillelmus de Crouta, hoc excepto quod dicit quod hoc fuit tempore Luce de Villaribus ballivi. De mahemmio, dicit quod vidit dictum dominum tenere placita mahemmii. Requisitus de quo mahemmio, dicit de capite roingniato. Requisitus de qua persona, dicit quod de quodam burgensi Vernolii, qui vocabatur Geroudus le Drapier. Dicit etiam de Osanna difforciata, idem quod alii. Dicit etiam quod vidit multociens dictum dominum utentem dote, maritaggio incombrato, retractu per bursam et marneria, set non recolit de personis.

VII. § Gauterus de Pereio, miles, juratus, dixit quod nichil scit, nisi de auditu.

VIII. § Radulfus de West, miles, juratus, dixit idem quod primus testis de Jouchehors suspensio, hoc addito quod idem Jouchehors traditus fuit isti Radulpho qui loquitur, et redditus per Estachium Desmeree, vicecomitem Ebroicensem ; non recolit de tempore ballivi. De mehemmio burgensis Vernolii maheimmati de capite, de Osanna La Guerarde difforciata et de omnibus articulis superius expressis et de personis dixit idem quod primus.

IX. § Simon de Garennes, miles, juratus, dixit idem de Jouchehors suspensio quod primus. Dicit etiam quod ballivus non erat ibi quando redditus fuit gentibus dicti domini. De aliis casibus nichil scit.

X. § Robert le Coc, presbiter, juratus, dixit idem de Jouchehors suspensio quod primus, hoc excepto quod non erat presens quando fuit redditus domino Sancti Andree. De muliere de Parco maheimmata et de Osanna difforciata dicit idem quod alii. Dicit etiam quod Xpistianus Rousel mehemmavit Radulfum Le Francois de digito apud Garennes, de quo dictus dominus tenuit placitum, et levavit emendas. Requisitus de tempore, dicit quod circa duodecim annos. Dicit etiam quod Foucaudus maheimmiavit apud Sanctum Andream Estardum clericum, et fuit roinatus in capite ; super quo dictus dominus similiter habuit totam justiciam, et hec omnia evenerunt die mercati. De dote, retractu burse, marneria idem quod primus. De aliis casibus nichil scit.

XI. § Guillelmus dictus Amicus, presbiter, juratus, dixit de Jouchehors suspensio, de muliere de Parco, maheimmata, de Osanna difforciata idem quod primus, hoc excepto quod non vidit. De Radulfo le Cauchois maheimmato, idem quod Robertus le Coc presbiter. Dicit etiam quod melius credit quod homicidium, quod Jouchehors fecit, non

fuisset factum die mercati sancti Andree, quam in alia die Septimane. De omnibus aliis casibus, dicit idem quod primus testis.

XII. § Radulfus, presbiter, persona de Ferreriis, juratus, dixit de Jouchehors suspenso idem quod primus. Dicit etiam, idem qui loquitur, quod ipse audivit confessionem dicti occisi, quod homicidium perpetratum fuit in sua parrochia. Requisitus utrum die mercati Sancti Andree factum fuit, dicit quod non recolit de die. De Osanna difforciata et de Estardo clerico maheimmato, dicit idem quod alii. De aliis casibus dicit idem quod Guillelmus de Crouta.

XIII. § Estardus clericus, juratus, dixit quod Foucaudus maheimmavit ipsum, qui loquitur, die mercati Sancti Andree, et pacificatum fuit inter ipsos in curia dicti domini, et per eundem dominum, tali modo quod iste Estardus qui loquitur habuit centum solidos pro suo mahemmio. De aliis vero casibus dicit quod nichil scit.